

Prolusio

de

MYTHO SOCRATIS

in Symposio Platonis

Examini

in Lyceo Gubenensi

d. XV. Novembr. CIƆIƆCCCIII.

1803

hora nona

habendo

praemissa

a


M. Henrico Ludouico Hartmanno,

Conrectore.

Gubenae,

ex officina Brükneriana.

1803



Q. B. V.

Quum iam ante sex annos de gravioribus, ad Symposium Platonis pertinentibus, rebus exponere coeperim 1; quumque huc haud dubie etiam ille mythus referri debeat, qui Socrati a Platone tribuitur: nunc occasione scribendi rursus oblata ita vtar, vt de illo mytho vberius agam, ne gravioris partis illustrationem omisisse videar. Et hoc quidem negotium eo lubentius mihi imposui, quum iam illo tempore, quo de primario Symposii Platonis proposito exposui, mihi esset persuasissimum, illum mythum a Platone non mediocri arte ideo esse confictum, vt ei omnis Socratis atque adeo Platonis de Amore sententia superstrueretur, qua primarium omnis libelli propositum ex parte innueretur. Caeterum ita versabor in hac quaestione tractanda, vt, mytho ipso enarrato,

 de

1. Tunc enim temporis Prolusionem de Proposito Symposii Platonis edidi.

de *sensu grauiorum eius particularum;* deinde de *consilio,* quo orationi Socratis insertus sit; tum de omni eius *indole* et *natura;* denique de *fontibus* eius exponam.

Mythus ipse ita se habet: 2. „Quum Venus nata esset, dii conuiuium instituerunt, cui etiam Porus, Metidis filius, intererat. Postquam coenauerant, Penia gaudiis deorum cognitis aduenit, quo stipem colligeret. 3. Quum autem Porum hortum Iouis intrare vidisset, atque filium ex eo concipere cuperet, sequuta eum est, quumque ille nectare ebrius somnoque grauis dormiret, iuxta eum consedit, sicque concepit Amorem. Qui quum eodem cum Venere natus sit die, eam sectatur, et quum haec sit pulchra, ille etiam ipse id, quod pulchrum est, amat. Sed quum Penian habeat matrem, Porum autem patrem: virtutibus etiam pro diuersitate parentum instructus est diuersis. Quum enim Penia eum pepererit, fit, ut ipse quoque sit pauper neque tener et pulcher, sed asperioris naturae, impurus, discalceatus, domo, lecto destitutus, ad fores in via sub dio dormiens, et sic porro. Quum autem Porus eum genuerit, boni pulchrique cupidus, fortis, audax, vehemens, venator summus, callidus, sapientiae amans, et philosophus per totam vitam est. Caeterum quum vno eodemque die pullulet et viuat, summo autem prosperitatis fastigio ascenso moriatur, postea vero ob patris naturam vitam recipiat: neque mortalis, neque etiam immortalis, dici potest.

Vt

2. Legitur hic mythus Sympos. Pl. XXIII, 4. ss.

3. De Metide, seu Prudentia, de Poro, quo abundantia, inprimis prudentiae et calliditatis significatur, et de Penia, paupertate, consilii et prudentiae inopia, ea conferri possunt, quae in Prolus. de Erote Socratis not. 14. monui.

Vt porro, quum, quod acquisiuit, non retineat, neque plane egenus est, neque etiam opibus affluit, ita etiam neque sapiens, neque insipiens plane est, atque adeo hanc ipsam ob caussam sapientiae operam dat.

Postquam Socrates in antecedentibus Agathonem eo redegerat, vt fateretur, Amorem partim ad aliquid referri, et nominatim pulchrum ac bonum sectari, partim eo, quod pulchrum et bonum est, destitutum esse 4.: etiam, auctore Diotima, muliere vaticinante, docuit, Amorem esse inter deos hominesque medium, atque adeo daemonibus annumerandum 5. Quod quidem vt luculentius appareret, et omnino natura eius inter perfectam et imperfectam media magis intelligeretur: hunc de natalibus Amoris mythum subsequi iussit. Videamus nunc de singulis mythi particulis: sed priusquam meam ipsius sententiam de iis proponam, quaeramus, quid de Sydenhami et Mosis Mendelidae explicationibus statuendum sit 6. Et Sydenhamus quidem putabat, Platonem, Orphicos theologos sequutum, per Metidem intellexisse Mentem Diuinam, quae ab aeterno ideas omnium rerum creatarum conceperit; per Porum autem ideas illas ipsas, plenitudinem, vbertatem, abundantiam; et per Penian aeternam materiam per se omnis formae expertem igiturque exilem. Deinde idem vir doctus censebat, per Veneris diem natalem illud tempus designari, quo natura rerum primum redacta sit in ordinem, et pulchritudo secundum vulga-

4. Vid. Symp. c. 21, 4. ss.

5. Vid. ibid. c. 22, 6. ss.

6. Vid. nota Wolfii ad c. 23, 5.

rem, ab Hesiodo confirmatam, opinionem ex Chao rerum prodierit. Per hortum Iouis indicari putabat immensitatem spatii, vbi quaeuis pulchra idea serenda fuerit, et materia formam induerit; qua quidem formae materiaeque coniunctione postea omnis generis res creatae extiterint, quarum quaeque formae illius suae perfectionem consequi studuerit. Et hanc quidem perfectionis in hominibus cupiditatem Sydenhamus existimabat per Amorem significari. — Haec igitur est Sydenhami sententia, quae fortasse iam propterea multis placere potest, quod sic omnes mythi partes explicatae inueniuntur. Quo minus autem ego ipse huic explicationi assensum praebeam, variae rationes impediunt. Nam quanquam ea, quae operosa illa explicatione efficiuntur, Amorem nempe esse perfectionis cupiditatem, non plane aliena sunt a Socratis consilio, tamen primum arbitror, singulas mythi partes artificiosius, quam verius esse explicatas; deinde puto, in eiusmodi mythis singulas partes non, vt ab eo factum est, nimis vrgendas esse, quum non omnes singularem vim habere, sed nonnullae ornamenti tantum caussa addi soleant. Et primum quidem ea, quae de Metide, Poro, Penia et Veneris die natali disputauit, longius repetita esse videntur, et valde dubito, an Socrates ea omnia inter laeta pocula cogitauerit, quae Sydenhami ingenium nimis sagax inesse putabat. Nimirum etiam hoc loco nimius Platonis amor eum fefellisse videtur, qui saepius effecit, vt in omnes philosophi virtutes penetrare, omnemque orationis sententiarumque vim et elegantiam enucleare et declarare conaretur 7. Deinde quod ad hortum Iouis attinet, quis tandem sibi

7. Inde quaesitae eius et operosae multorum locorum explicationes fluxerunt, vt ea de Apollodori iocoso cognomine c. 1, 1.; quod Schützius multo rectius explicauit Lect. Platonn. Part. 1. cf. Morgenstern über des Hn.

sibi persuadebit, illa, quae de eo disputauit, vel minimam veri speciem habere, quum haec mythi particula, vt videbimus, vim quidem aliquam habeat, non autem ita grauis sit, vt ille eam existimauit. — Moses Mendelides vero mythum nostrum ita interpretatur, vt per Penian studium cupiditatemque imaginationis, per Porum autem pulchram perfectamque varietatem intelligat; sicque putat facile intelligi posse, quomodo Amor coniunctione vtriusque prodire potuerit. At primum philosophus ille, quum hanc sententiam proponeret, non satis reputauit, Amorem a Socrate in personam mutatum esse, sed amorem in abstracto tantum et ne satis quidem accurate cogitavit 8. Quod vt fieri in hoc mytho nullo modo debebat, ita etiam Penia non per studium cupiditatemque imaginationis, quod est consequens et magis ad Porum pertinet, sed potius per defectum eorum, quae pulchra, bona, perfecta sunt, explicari debebat. Hinc non verisimile videtur, Platonem illa cogitasse, quum Porum patrem et Peniam matrem Amori a Socrate tribui iuberet. — Iam repudiatis Sydenhami et Mosis Mendelidae explicationibus, quid mihi de hoc mytho videatur, breuiter ita dicam, vt singulas eius partes perlustrem. Et primum quidem Veneris, pulcherrimae dearum, die natali nullam aliam ob caussam natus esse dicitur, quam vt appareat, quomodo fiat, vt Veneri semper adhaereat, atque adeo nil nisi id, quod pulchrum est, sectetur.. Hanc autem tantum neque aliam vim illi temporis fictioni inesse, clarissime patet ex iis, quae

Graf. Fr. Leop. zu Stolberg Uebersetz. auserlesener Gespräche Plat. p. 22.

8. Nam quanquam concedo, Socratem in sequentibus ab Amore, persona, ad amorem in abstracto transire: tamen in mytho ipso personae ratio semper est habenda.

quae illustrationis caussa mytho paulo inferius 9. adiiciuntur: διο δη καὶ της Ἀφροδιτης ἀκολουθος καὶ θεραπων γεγονεν ὁ Ἐρως, γεννηθεις ἐν τοις ἐκεινης γενεθλιοις καὶ ἀμα φυσει ἐραστης ὠν περι το καλον, και της Ἀφροδιτης καλης ὀυσης. — Metidis autem mentio facta est propterea, vt appareret, quaenam nominatim abundantia in Poro, filio eius, cogitanda esset, atque adeo, vt Porus non tantum ευπορος, sed etiam σοφος putaretur. Quod quidem propterea necessarium erat, quia in iis, quae sequuntur, Amori virtutes tribuuntur, quas tantum habere poterat sapiente et opulento patre natus. Mea sententia rursus confirmatur verbis auctoris nostri, quae mythi illustrandi caussa addita leguntur: „πατρος μεν γαρ σοφου ἐστι και ευπορου 10. Caeterum iam ex iis, quae modo dicta sunt, facile apparet, me partim per Porum significari putare sapientiae nominatim abundantiam, partim mihi videri Porum propterea Amori tributum esse patrem, vt intelligeretur, qua ratione ei eminentiores, ad sapientiam ducentes, virtutes contigissent. — Porro Penia mater Amoris dicitur fuisse, quia ob subiunctam huius daemonis descriptionem docendum erat, quomodo factum esset, vt virtutes, quas Amor a tali tamque sapiente et perfecto patre accipere posset, minuerentur et debilitarentur. Hanc igitur ob caussam Amori tribui debebat mater, quae infirmitatibus laboraret atque adeo opibus et sapientia careret. Penian autem re vera ita nunc cogitandam esse, videre licet ex sequentibus 11., vbi mater Amoris dicitur ου σοφη et ἀπορος. Parentes igitur hi diuersi nonnisi propterea lecti sunt, vt verisimile fieret, Amori re vera naturam esse mixtam, et inter per-

9. Vid. Symp. c. 23, 6.

10. Vid. 23, 12.

11. Vid. ibidem.

perfectam imperfectamque mediam. — Quod autem attinet ad hortum Iouis, is non ornatus tantum caussa commemoratur, sed necessario commemorandus erat. Nam quum Pori et Peniae tam diuersa esset natura, per se non verisimile erat, illum cum hac rem habere potuisse. Vt igitur mythus maiorem veritatis speciem acciperet, primum finxit, conuiuium die Veneris natali esse institutum, deinde, Porum ebrium et quidem solum in hortum Iouis se contulisse. Sic Peniae, quae haec omnia animaduerterat, occasio facta erat, Porum conueniendi et quidem sine arbitris. Apparet igitur ex hactenus dictis, ea, quae de horto Iouis intexta sunt, non quidem sine caussa addita esse, sed tamen non id continere, quod Sydenhamus inesse putabat. — Accedamus nunc etiam ad ea, quae illustrationis caussa mytho addita sunt, vt mixta Amoris natura magis declararetur. Et primum quidem ob matris naturam dicitur paupertate, aspera natura laborare, calceis, domo, lecto carere, ad fores dormire. 12. Cumulantur hoc loco varia Amoris incommoda, quae autem singula non nimis vrgenda sunt, sed potius tantum in vniuersum indicant, Amorem partim iis, quae pulchra et bona sunt, carere, partim etiam ita vehementem, ita constantem esse, vt nullo incommodo a pulchri et boni studio deterreatur, sed potius omni constantia omnia impedimenta obuia superet, quo tandem pulchro et bono potiatur. Quanquam enim non negauerim, Socrati dicenti: Amorem ad fores in via sub dio iacere, obuersatum esse exemplum amatorum, qui a poëtis saepe sic depinguntur 13.: tamen in vniuersum

* * de

12. Vid. c. 23, 7.

13. Vid. Wolfii not. ad 10, 2.

de illa Amoris descriptione ita, vt dixi, statuendum esse arbitror. Nam quanquam Amor in Socratis oratione amorem proprie et angustiori sensu dictum simul complectitur, tamen hic non solus cogitandus est, sed omne omnino pulchri bonique studium, cupiditasque eius possidendi. 14. Deinde etiam reliqua, quae Amori ob matris naturam inesse dicuntur incommoda, non referri possunt ad solum amorem proprie dictum, sed omnino de studio pulchri et boni intelligi debent. Videmus igitur, varietatem imaginum, quibus vilior Amoris natura depicta, et quarum vna tantum ab amatoribus vulgaribus desumta est, nos mouere debere, vt de omni loco sententiam ante dictam feramus. — Quae de praestantiori Amoris natura, a Poro accepta, dicuntur 15., etiam singula non nimis sunt premenda. Sunt autem haec: boni pulchrique cupidus, fortis, audax, inuestigator summus, versutus, philosophus est. Hoc loco ex prioribus descriptionis verbis luculentissime patet, Amorem latissimo sensu accipiendum esse, neque tantum ad pulchritudinem corporum, sed etiam ad gloriam, diuitias, potentiam, sapientiam et omnia, quae pulchra putantur, referendum esse. Et tota illa descriptione Socrates docere volebat, amorem boni et pulchri eius esse generis, vt nullo non tempore pulchra sectaretur, et omnis generis artibus vteretur, et vel summa pericula audacter subiret, quo consilium suum teneret. — Quatenus autem Amor neque *immortalis*, neque *mortalis* dici possit, iam ex ipsa illustratione horum verborum, quae subsequitur, concludi potest. Nimirum describitur sic Amoris natura illa, quae cernitur in eo,

vt

14. Vid c. 21, 12. ss. cf. c. 24, 8. 10.

15. Vid. c. 23, 8.

vt, quamdiu ad pulchri bonique possessionem nondum peruenit, se exserat atque vigeat, sed languescat atque moriatur, quando pulchrum atque bonum exoptatum possidet. Huc accedit, quod etiam non in vna pulchra re acquiescit, sed ad alteram transit 16., atque adeo etiam hoc respectu *mortalis* dici non potest. — Quum autem Amor paulo inferius neque plane *egenus*, neque plane *diues* esse dicitur: haec descriptio non aduersatur iis, quae in antecedentibus de paupertate Amoris a Platone dicta sunt. Supra enim *pauper* dicebatur, quia bono et pulchro per se caret, hoc loco autem non plane *egenus*, quatenus vehementi suo studio pulchri et boni saepe particeps fit. Caeterum non plane *diues* esse partim propterea dicitur, quod pulchra, quibus amor potitus est, ex animo elabuntur et euanescunt, partim quod tam varia et innumerabilia sunt, vt amori nunquam plane satisfiat. Reliqua illustratione non indigent.

Iam vt partim ea, quae hactenus dicta sunt, magis confirmentur, partim etiam, vt, quam apte mythus confictus sit, intelligatur; nunc breuiter etiam de omni mythi *consilio* disseram. Nimirum quum Socrates intellexisset, amori h. e. pulchri bonique studio, quatenus ei nondum satisfactum est, aliquid deesse, contra autem summum ei feruorem in sectando pulchro, et, quum hoc contigit, laetiorem esse conditionem: hanc amoris naturam haud dubie illo mytho exprimere voluit. Hoc partim ex ipsa mythi illustratione a Socrate adiecta patet,

 par-

16. V. c. a pulchritudine vnius corporis ad venustatem aliorum corporum, a pulchris corporibus omnino ad pulchros bonosque animos, ab his ad pulchra instituta et leges, inde ad literas, denique ad cognitionem ipsius verae pulchritudinis. v. c. 28, 2. ss. cf. 29, 4.

partim etiam natura rei ipsa satis loquitur. Quaedam enim imbecillitas inest in eo, quod iis, quae cupimus, adhuc caremus; contra autem, si cum feruore et constantia in eo elaboramus, vt exoptatis potiamur, et iis potiti laetandi materiam habemus, perfectior amoris natura apparet. Iam quum amor tam diverso respectu considerari possit, facillime intelligi potest, mythum aptissime esse confictum, et nullos alios parentes Amori melius conuenire, quam Porum et Peniam. — Deinde Socrates hoc mytho fortasse etiam docere videri potest, cupiditatem pulchri et boni omnibus hominibus esse communem. Si enim Amor Porum et Penian habet parentes, non tantum cum diuitibus, sed etiam cum pauperibus versabitur. Diuites autem et pauperes saepe pro uniuerso genere humano ponuntur. At quamuis paulo inferius 17. disertis verbis amor omnibus communis dicatur, tamen in ipso mythi vberiori explicatione nihil eiusmodi reperitur, et multa mihi persuadent, Socratem nil nisi supra dictam illam internam Amoris rationem hoc mytho exprimere voluisse.

Nunc etiam pauca de indole et natura nostri mythi dicenda sunt. Si hic mythus cum eo comparatur, quem Plato Aristophani poëtae tribuit 18, intellectu facillimum est, illum ab hoc diuersissimum esse. Vt enim Aristophanis mythus laetioris est generis, et, vt videtur, propterea compositus, vt conviuae exhilararentur, sic mythus Socrati tributus ad genus mythorum magis serium pertinet. Vt porro Aristophanis mytho

facili

17. Vid. c. 24, 5.

18. Vid. c. 14, 3. ss. Conferri potest Prolusio mea de Mytho Aristophanis in Sympos. Plat.

facili opera omnia ea superstruuntur, quae ad ambitum imperii Amoris illustrandum proferuntur, ita mythus Socratis multo artificiosius et quidem ita est confictus, vt partim interna amoris ratio vere sit expressa, partim etiam omnia ea, quae in oratione Socratis de amore praedicantur, inde facile derivari possint.

Ad vltimam nunc quaestionis partem transeundum, atque adeo quaerendum est, ex quo fonte mythus noster fluxerit. De fontibus mythorum Platonicorum variae virorum doctorum sunt sententiae 19; sed quum omnes, vna excepta, in hunc mythum cadere non videantur, tantum hanc vnam indicabo. Secundum illam sententiam, quae sola probabilis videri possit, mythi Platonis ex Socratico fluxerunt fonte. Quae quidem sententia nunc propterea magnam veri similitudinem habere potest, quod partim ipsi Socrati tribuitur, partim etiam argumentum eius philosophicum ingenio Socratis accommodatissimum est. Adsunt igitur omnia, quae sententiae illi fauere possint, et tamen mythum hunc Socratis ingenio tribui noluerim. Nam primum non credibile est, Socratem a Platone iussum esse mythum nunc proferre, quem iam alio tempore discipulis, qui et ipsi nunc adfuisse finguntur, exposuisset. Si enim mythum diu notum recoxisset, omnium spem fefellisset, quae in superioribus tantopere excitata erat. Nam quum variis in locis dissimulans dixisset, se post tot excellentes oratores nihil, quod Amore esset dignum, prolaturum es-

 se,

19. Laudantur ab Hüttnero, qui Londinum nunc sedem, sed Gubenam patriam habet, in libello de Mythis Platonis p. XI. Huic autem viro doctissimo non assentior dicenti (p. XII.), mythos Symposii tantum ornatus caussa insertos esse.

se, sicque eo magis omnium exspectationem excitauisset 20.; quum porro hoc sibi sumeret, vt totam Agathonis, conuiuii auctoris, orationem vanam esse ostenderet 21.: sperandum nunc erat, talia ab eo prolatum iri, quae partim nouitate, partim commoditate et grauitate commendarentur. Accedit, quod, quae Socrates profert, non tam ipsi, quam Diotimae, sapientissimae foeminae, cui cum ipsis diis necessitudo intercederet, 22. tribuuntur. Necesse igitur eo magis erat, vt Plato Socratem res et grauissimas et aliunde nondum cognitas iuberet eloqui. His igitur rationibus ductus arbitror, mythum hunc Socrati ipsi non posse tribui. Cuinam autem tribuendus erit? Haud dubie ipsi Platoni, cui pro poëtico, quo pollebat, ingenio rectissime potest adscribi. Sed dixerit quispiam: „Sunt tamen omnia in hoc mytho ita comparata, vt Socratis ingenium aptissime referant, eique ipsi recte tribui possint.“ Audio. At nonne Plato ipse ingenium Socratis, quod a multis annis cognitum habebat, tale, quale erat, exhibere potuit? Num negabimus, ei hanc facultatem fuisse, quum videamus, alia in Symposio ingenia, nominatim Eryximachi, Aristophanis, Agathonis, de quibus, aliunde cognitis, iudicare possumus, summa cum arte et verissime esse exhibita 23. Huc accedit, quod

20. Vid. Symp. 5, 7. in primis autem 20, 1. ss.

21. Cap. 21.

22. De Diotima Fr. Schlegel. peculiarem scripsit commentationem, quae primum inserta est Biesteri lib. menstruo Berolin. Fascic. 7 et 8. a. 1795., deinde repetita in eiusdem Schegel. libro: Die Griechen und Römer. Historische und kritische Versuche über das klassische Alterthum. Erst. Band. Neustrelitz 1797.

23. Conf. Prolusio mea de Mytho Aristophanis in Symp. Pl. p. 8. not. 17.

quod etiam mythus argumento reliquae Socratis orationis quam maxime conuenit, adeo vt vix negari possit, Platonem illum mythum ob reliquam Socr. orationem confinxisse. Et omnino non video, cur pleraque in scriptis Platonis Socratis ingenio, vt a multis fit, neque ipsi Platoni tribuenda sint. Alia res est in iis libris, quibus nihil aliud propositum est, quam docere, quid Socrates statuerit, quomodo discipulos instituerit, quomodo eos ad virtutem adduxerit. Vbi hoc consilium diserte indicatur, ibi haud dubie ea, quae proferuntur, Socratis esse putanda sunt. Hoc autem in libello, vbi Plato haud dubie suam ipsius sententiam Socrati tribuit, etiam mythus Socrati tribui non poterit.

Reliquum est, vt omnibus, qui disciplinae et institutis nostrae scholae fauent, breuiter significemus, quam ob caussam hic libellus propositus sit. Nimirum quum singulis annis auctumni tempore, quantum discipuli nostri in studiis bonarum litterarum profecerint, publice ostendendum sit: Vos, Patroni et Fautores, maiorem in modum rogo atque oro, velitis Vestram in nos collegas discipulosque nostros ita declarare beneuolentiam, vt et frequentes et lubentes examini intersitis. Quum Vos ipsi facile intelligatis, Vestram frequentiam ad excitandos incitandosque discipulorum animos quam plurimum collaturam esse; non tam speramus, quam confidimus, Vos precibus nostris humanissimis ita locum esse daturos, vt nobis et collegis et discipulis vberrima laetandi materia suppeditetur.

Scripsi Gubenae mense Octobri CIↃIↃCCCIII.